

obligantur. Sic in *L. 1. tit. 16. part. 4.* dicitur: *E porque dan los homes algunas vezadas sus fijos legitimos, e naturales a otros que los profijen, por ende en tal profijamiento, como este, ha menester que aquel a quien profijan, que consenta otorgandolo por palabras, o callandose, non contradiciendo. Et ibid. Gregor. Lop.* Qui enim scit, aliquid agi, & præsens est, potestque contradicere sine magna difficultate, vel incommodo, & non contradicit, præsimitur in illum actum consentire. *L. 60. ff. b. t.* Nam vehemens in homine viget passio, ad contradicendum his, quæ non vult fieri, quando negotium ab ejus arbitrio pendet; *arg. cap. fin. 23. q. 3. ibi: Qui desinit obviare, cum potest consentit.* Hæc regula juxta communem DD. præcipue militat in rebus favorabilibus. *L. 18. ff. Mand. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 5. n. 5. alios citans.* Et juxta plures, etiam in odiosis, & præjudicialibus, hæc regula locum habet; *arg. L. 5. §. fin. ff. de Fidejussor. Tutor. cap. 2. de His, que fiunt à Prælat. Barbosa. hic, num. 10.* Sed cum talis consensus tantum præsumptus sit, facile per fortioiorem præsumptionem eliditur: sicut probatio vincitur per meliorem probationem. *C. 9. cap. 14. de Probat.* Si tacens ore ostendat, signo, vel nutu displicentiam, cum fortiora sint facta, quam verba. *L. 48. §. Et, qui ff. de Adilitio Edicto.* Intelligitur utique dissentire. *Barbosa. hic,* qui etiam respondet argumentis contrariis.

Cap. 44.

Is, qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur. L. 142. ff. b. L. 23. tit. 34. p. 7. Qui enim sine difficultate, & scandalo non potest contradicere, etiam si taceat, non censetur consentire. *C. 2. de Præscript.* nam culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. *L. 50. ff. b. t.* Præcipue, si in præjudicialibus, & odiosis tacet, & nullum aliud signum consensus ponit. Sic dominus, quando ejus res ab alio venditur, non censetur consentire in venditionem: nec reus condemnatus in sententiam consentit, etiam si taceat, cum possit appellare intra tempus definitum à Lege. *C. 28. 2. q. 6.* Qui verò contumaciter tacet, cum respondere debeat, habetur à jure pro consentiente, ad contrahendam contumaciam. *C. 3. de Dolo, & contumacia.*

Cap. 45.

Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. L. 114. ff. b. tit. Verisimilitudo dicitur naturæ cognata: nam verisimile est, quod jure, vel naturæ est conformius, & quod regulariter accidere solet. Ideo filius, si aliunde non constet esse ingratum in Patrem, præsumitur injustè exheredatus, quia non est verisimile, ingratum fuisse. Sic mulier, quia longo tempore suo cohabitavit marito, in matrimonium consensisse videtur, etiam si principio fuisset per vim contractum, *C. 21. de Sponsalib.*

Cap. 46.

Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille uti debebit. L. 59. L. 175. §. 1. L. 177. ff. b. t. Sic Ecclesia, si ob defectum hæredum consanguineorum succedat Clerico, tenetur ad tributa, quæ solvere deberent habentes talia prædia, *L. 52. tit. 6. p. 1.* Et hoc coincidit cum axioma commune: *Subrogatum in re naturam ejus, in cuius locum subrogatur. L. 10. §. 2. ff. Si quis caution. cap. 41. de Elect.* Si verò antecessor jus personale habebat, eo non utitur successor, nec privilegio personali antecessoris. *C. 7. sup. b. t.*

Cap. 47.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur, ut in *L. 21. ff. de Probat.* Ubi Legatario incumbit probare, Testatorem, qui rem alienam, vel alteri obligatam legavit, scisse, rem esse alienam, vel alteri obligatam, quia ut notat *ibid. Gotsfr.* in dubio præsumitur regulariter ignorantia facti alieni. Non tamen præsumitur ignorantia, imò præsumitur scientia facti notorii. *L. 9. §. 2. ff. de Jur. & fact. ignor.* Præsumitur itidem scientia juris, præcipue naturalis. *L. 9. ff. de Jur. & fact.* imò & præsumitur scientia facti alieni, quod quis ex officio indagare, & scire debet: & ideò non præsumitur, Tutorem ignorare facta sui pupilli: nec de Episcopo præsumitur, ignorare vacationem beneficii, nec collationem ab inferiori factam, nec juris patronatus devolutionem. *Barbosa. hic. Acc-*

Accedo in L. 2. tit. 20. lib. 6. Recop. ex num. 10.

Cap. 48.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. L. 14. ff. de Condict. indubiti. L. 206. ff. b. t. L. 17. t. 34. p. 7. Ideò si pupillus ex mutuo accepto locupletari sit factus, si forte solvit, non repetit solum. *L. 13. §. 1. ff. de Condict. indub.* Et hæc etiam ratione privilegia debent intelligi, ita ut non sequatur aliis grave præjudicium. *c. 21. de V. S.*

Cap. 49.

In panis est benignior interpretatio facienda. L. 155. §. 2. ff. b. t. L. pen. ff. de Pœnis. c. 11. de Constit. Dispositio enim pœnalis, non extenditur præter expressos, ad casus similes. *c. 18. de Pœnit. D. 1.* Et quando est dubia interpretatur in partem mitiorem: v. g. si verbum possit importare pœnam temporalem, & perpetuam, pro temporali interpretatur. *c. 11. de Constit.* Similiter Judex, si diversas pœnas infligere possit mitiorem, & benigniorem saltem ex consilio debet eligere. *c. 41. 24. q. 1.* Et generalius hoc habetur in *L. pen. ff. de Pœnis*, ibi: *Interpretatione Legum pœna molenda sunt, potius, quam asperanda.* Ita tamen, ut ex nimia benignitate non foveantur delicta, sed solum in supplicio temperando rigorem. Sicut Christus in Templo, qui contra illud profanantes fecit quasi flagellum de funiculis. *Joan. 2. v. 15.* nam ut ait *D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. ad 1.* Clementia Judicis habet locum in his, que arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri est, ut sit diminutivus pœnarum, sicut Philosoph. dicit in 5. Ethic. In his autem, que sunt determinata secundum Legem Divinam, vel Humanam non est suum misericordiam facere. Potest tamen clementiam exercere si consilium sequatur Seneca de Clem. 1. *Tanquam invitus, & magno cum tormento ad castigandum venias.* Quod etiam dixit *Ovid.* sit piger ad pœnas Princeps, ad premia velox, cuique dolet, quoties cogitur esse ferrox.

Cap. 50.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem L. 77. ff. b. t. c. 2. de Tum. II.

Elect. in 6. L. 15. tit. 6. p. 8. Condicio proprie talis est oratio dispositionem suspendens in futurum eventum contingentem. A nullo prorsus actu, quantumvis legitimo excluditur conditio, quæ ex natura rei tacite inest actui: nec conditio de præterito, vel præsentis, vel futuro necessario. Quippe tales non sunt proprie conditiones, cum non suspendant. Actus ergo illi, qui ab executione initium capiunt non recipiunt conditionem, neque diem: vel si hæc apponatur: utpotè contra ipsam actus naturam illum viciat, & destruit: nam actus ex sua natura debet ab executione incipere, & ex conditione nequit incipere ab executione, sed hæc debet ubi ad eventum conditionis suspendi. Tales sunt emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio Tutoris à Judice, electio, postulatio, sententia Judicis, & alii hujusmodi: alii vero actus è contra licet conditionem à principio recipiant, quæ dicitur initiativa, non recipiunt conditionem resolutivam, ut patet in matrimonio: nam postquam semel legitime contractum est, in potestate hominis non est illud resolvere, utpotè, quod ex Divina institutione indissolubile est. *Matth. 19.* Regulariter verò omnes actus, qui ab humano dependent arbitrio, possunt sub conditione fieri, nisi expressè à jure hoc prohibeatur. *Sanchez de Matrimo. L. 5. D. 1. Barbosa. hic, & alii comm.*

Cap. 51.

Semel Deo dicatum non est ad usus humanos, ulterius transferendum. c. 4. de Religios. domib. L. 64. tit. 4. p. 1. Quod quidem ob favorem Religionis, & cultus Divini inductum est: & merito quidem: nam indecens est, rem, quæ Deo fuit ritè consecrata, usibus profanis deservire. Ideò in *c. 38. de Consecr. D. 1.* disponitur, quod ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus, in Laicorum verò usum non debent admitti. Idem de vestimentis, palliis, Cathedris, Candelabris, aliisque rebus sacris dicitur. *In c. 39. & seq. de Consecr. D. 1.* Aliud de servis dicendum est: nam si invito Domino sunt ordinati, ipsis debent restitui. Si verò res inanimatæ invito Domino consecrentur, ipsi debent

restituatur, non res, sed prærium. C. 2. l. 4. q. 6. Si verò ipsæ debeant restitui, prius conflari, vel destrui debent, ita ut consecrationem amittant.

Cap. 52.

Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. L. 5. C. de Legib. c. 8. de Jur. Patronat. quod enim nullum est, nullum producit effectum. L. 4. §. Condemnatum, ff. de Re judic. Ideo matrimonium, sponsalia, vel electio nulla, nullum impedimentum præstant, ut non possit aliud matrimonium, sponsalia, vel electio celebrari. Quando verò aliquid prohibetur addendo poenam, impedimentum, vel inhabilitatem contra transgressorem Legis, ille, qui illum actum ponit, quamvis nullum, incurrit tamen poenam, impedimentum, inhabilitatem: & ad hoc effectum, idem est, ac si validus esset talis actus. Sic in c. 4. & fin. de Bigam. illi, qui in sacris constituti matrimonium defacto contrahunt, quamvis illud nullum penitus sit, nihilominus bigamiam, & irregularitatem incurrunt.

Cap. 53.

Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. L. 21. l. 110. ff. b. t. c. 35. super. b. t. Quod quidem intelligendum est, minus si sit in eadem linea, & contineatur in majori, sicut pars in toto, species in genere, & minor summa in majori summa. c. 1. de Arbitr. in 6. l. 1. §. Stipulanti, ff. de V. O. In his enim casibus validum est argumentum de majori ad minus, ita ut minus possit, qui potest majus. Sic enim patri, qui filios poterat occidere, à fortiori eos exheredare concedebatur. L. 11. ff. de Liber. & posth. Et maritus, qui adulterum occidere poterat, à fortiori poterat calumnia afficere. L. 22. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adul. Sic Religiosis quibus decimæ antiquæ competunt, competent etiam decimæ novæ, quod minus est. C. 28. de decimis. Sic Sacerdos, qui Corpus Christi conficere potest, magis poterit Populum in fine Missæ benedicere, quia est minus intra eandem lineam. c. 6. D. 9. Secus erit dicendum, quando magis, & minus diversarum linearum sunt: Hinc quamvis Sacerdos possit absolvere poenitentem à reatu poenæ æternæ, non po-

test à carcere solvere, quod est minus. Nec in dispensationibus, quæ jure conceduntur, habet locum hæc regula; arg. c. fin. de Translat. Episcop. Si verò ab homine concedantur, & sint intra eandem lineam, concessio ad plus extenditur ad minus. Barbosa in b. text. Sanchez de Matrim. lib. 8. D. 2.

Cap. 54.

Qui prior est tempore potior est jure. L. 98. ff. b. t. l. 11. ff. Qui potiores in pignor. L. 6. tit. 10. p. 3. Quando ergo concurrunt duo, qui pares sunt causa, secus aliter, qui prior est tempore, etiam si prioris in hora, imò & in puncto consistat, ille est potior jure ac proinde alteri præfertur, quod procedit, tam in agendo, quam in excipiendo, & replicando. L. 12. ff. Qui potior in pignor. Etiam prior nominatio arguit majorem dignitatem. Et præcedere, ut dignior debet, qui prius nominatur. L. 1. ff. de Albo scribend. & magis dilectus censetur. c. 46. de Elect. in 6. Et prius ordinatus, prior, & major aliis, ceteris paribus, habendus est. c. 1. de Major. & obedi.

Cap. 55.

Qui sentit onus sentire etiam debet, & commodum, & à contra. L. 10. l. 38. ff. b. t. l. 29. tit. 34. p. 7. L. 23. tit. 5. p. 5. Commodum, & onus eandem personam sequuntur in his, quæ ex natura actus proveniunt. Ideo Clericus, qui de fructibus Ecclesiæ vivit, ipsi in Divinis ministrare, & servire debet. c. 11. de Præbend. Ideo Parocho, qui suo Parochiano Sacramenta ministraverat vivo, eo mortuo, etiam si alibi sepulturam eligat, debetur certa portio ex bonis defuncti. c. 1. de Sepult. Deinde Monasterio adjudicantur bona Clerici ibidem detrusi, ut portet onus illum alendi. c. 5. 16. q. 6. Ideo etiam in c. 16. de Præbend. ait Innoc. III. Cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari, & qui ad onus eligatur repelli non debeat à mercede, patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu-Christi, cujus obsequio deputantur. Quod si aliter inter partes conveniatur in distributione commodi, & oneris, pactum servandum erit. c. 1. de Pactis.

Cap.

Cap. 56.

In re comuni potior est conditio prohibentis. L. 28. ff. Com. divid. ibi: In re communi neminem Dominorum jure facere quidquam invito altero posse. Sic quando duo parietem comunem habent, si unus prohibeat, nequit alter illum destruere, nec reficere. L. 8. ff. de Servit. urban. prædior. Similiter, si unus prohibeat, quod per viam compromissi procedatur, ejus prohibitio prævalet. Etiam prohibentis opinio prævalet inter duos conjugatos, quorum alter vovet vult. c. 1. 33. q. 5. Quod si bonum publicum, favor libertatis, vel alia aequitatis ratio stet ex parte concedentis hujus conditio, etiam contra prohibentem, præfertur. L. 1. C. de Commun. servio manum. Ubi prævalet voluntas Domini concedendi libertatem servo communi contra aliorum Dominorum prohibitionem. L. 7. §. Hæc, cum seq. de Pact. Ubi attenditur major pars creditorum, ad remittendam debitori partem debiti. Et sic de aliis. Barbo. hic, & alii com.

Cap. 57.

Contra eum, qui Legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda. L. 172. ff. b. t. l. 2. tit. 33. p. 7. Verba enim dubia contra proferentem sunt interpretanda. L. 39. ff. de pact. Sic dictum obscurum contra illud dicentem interpretatur. c. 8. de Probat. Qui ipse debet pati poenam in hac interpretatione contraria, qui commisit culpam in non declaranda sua mente.

Cap. 58.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. c. 1. de Jur. jur. in 6. l. 38. tit. 5. p. 5. sed debemus facere, quod ait D. Lidor. in c. 5. 22. q. 4. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum: quod incaute vovisti, ne facias: Impia enim est promissio, qua scelere adimpletur. Non debet ergo tale juramentum servari: & merito, siquidem juramentum, quod est Religionis firmissimum vinculum, non debet fieri vinculum iniquitatis. c. 18. de Jur. jur. Et ideo juramentum de occiden-

do patre, desurto, vel adulterio faciendum: non valet. Tolerabilibus profecto est stultæ promissionis vota rejicere, quam per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminium implere mensuram. c. 1. 22. q. 4. Nec tenet juramentum illius, qui juravit exheredare liberos, vel à se expellere uxorem. c. 23. de Jur. jur. Nec valet juramentum nunquam agendi rerum amotum causa cum uxore. L. 5. ff. de Pact. dotal. Etiam juramentum, quod est majoris boni impeditivum illicitum est, ut siquis jurer, se non ingressurum Religionem, vel quod non fiet Clericus: aut quod non accipiet Prælationem in casu, in quo expedit, cum illum accipere. Quando ergo quis jurat, aliquid peccatum facere, & peccavit jurando, & peccat juramentum servando: at verò, qui juravit, se non facturum aliquid melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat juramentum servando: sed melius facti, si non servet. Alio modo vergit juramentum in deteriorem exitum propter aliquod, quod de novo emergerat, quod fuit impræmeditatum, sicut patet in juramento Herodis, qui juravit puellæ saltanti, se daturum, quod petiisset: hoc enim juramentum poterat esse à principio licitum, intellecta debita conditione, scilicet, si peteret, quod dare decrederet. Sed impletio juramenti fuit illicita: unde Ambrosius dicit in 1. de Officiis, est contra officium nonnumquam promissum solvere Sacramentum, sicut Herodes, qui necem Joannis præstavit, ne promissum negaret. Sic D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2. c. 2. 22. q. 4. Juramentum contra prohibitionem Juris Divini illicitum sanè est, nec debet servari, ut contra Gratianum in C. fin. 22. q. 4. tenendum est, quamvis Josue jurasset foedus cum Gabaonitis, quod Lege Divina erat prohibitum, aliqui dicunt, illud juramentum fuisse validum, quia tunc non erat de re illicita, quippe Josue processit ex quadam Divina inspiratione per modum legitima interpretationis. Suar. de Relig. lib. 2. de Jurament. cap. 18. Juramentum contra bonos mores civilem, si non sit contra Legem obligantem in conscientia, quod quidem servari possit sine animæ dispendio, validum, & obligatorium est. c. 28. de Jur. jur. c. 2. eod. in 6. Suar. de Relig. lib. 2. de Juram. cap. 21. & 22.

Cap.

Cap. 59.

Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem. L. 173. §. fin. ff. b. t. Qui enim debet aliquid restituere ipsi, à quo illud petit, sanè dolo, & mala fide, & animo decipiendi facere intelligitur; ideo creditor prohibetur sub censuris à debitore petere usuras, siquidem eas eidem restituere tenetur. c. 6. de Jur. jur. Diversa ratio est illius, qui re spoliatus petit, eam sibi restitui in possessorio, etiam si in petitorio ad eam restituendam sit condemnandus cum maximum commodum ex possessione percipiat. Etiam potest quis petere rem, quam restituere tenetur, non tamen ipsi, à quo petit, sed alii. Sic commodatarius rectè petit à fure rem ablatam, quamvis postea ipse debeat eam Domino restituere.

Cap. 60.

Non est in mora, qui potest se legitime exceptione tueri. Arg. L. 88. ff. b. t. Mora enim sine culpa non committitur: hinc in mora non sunt Clerici, qui non solvunt quartam partem decimarum quando exceptione præscriptionis sunt muniti. c. 4. de Præscript. Nec qui differunt sortem, quando exceptionem legitimam habent: nam in mora non estis, à quo pecunia propter exceptionem peti non potest. L. 40. ff. de Reb. credit. Nec in mora constituitur, qui solutioni quidem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit. §. 24. L. 27. ff. de Usur.

Cap. 61.

Quod ob gratiam alicui conceditur non est in ejus dispendium retorquendum. L. 6. C. de Legib. L. 25. ff. eod. ibi: Nulla juris ratio, aut equitatis benignitas patitur, ut que salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. Sic in L. 41. ff. de Minor. Non cogitur minor uti beneficio restitutionis sibi concesso, ne talis favor in ejus damnum retorqueatur. Quando verò concessio est facta ad instantiam alicujus, solet accidere, quod in ejus damnum tandem resultet. Sic in C. fin. de mutuis petit. ille, qui impetravit, ut sua cau-

sa, appellatione remota, definiatur, si reconvenitur à reo, non potest in causa reconventionis appellare: ut aequalitas servetur inter actorem, & reum.

Cap. 62.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulento non sit, obligatur. L. 47. ff. b. t. L. 6. tit. 34. p. 7. Sic non tenetur de damno fortè secuto, qui suum consilium dedit dubitanti, an has merces potius, quam alias emat; vel an contrahat matrimonium cum Seja potius, quam cum Titia, vel quid simile circa rem licitam consulti; nam consilii natura est excitare ad deliberandum, non tamen obligare ad sequendum. c. 7. de Arbitr. L. 77. §. Mandato, 24. ff. de Legib. 2. Et ibi Gothofr. Ideo qui consilium dat, non tenetur ex ipso, cum alter suæ facilitati potius debeat imputare, quod consilium secutus sit, quod liberum erat acceptare, vel respuere: secus est de mandato, ex quo quidem mandans tenetur, quia principaliter influit in opus secutum ex mandato. Quando verò quis dolosè consilium dedit circa contractum; v. g. vel quasi contractum, de dolo tenetur ei, cui fraudulentum consilium dedit. L. 47. ff. b. t. Similiter, qui ut peritus in arte præstare consilium tenetur, ut Assessores, Advocati, Judices; & similes ex consilio iniquo, etiam per imperitiam præstito obligantur illi, contra quem consilium dederunt, si ex consilio secutum sit damnum. L. 2. ff. Quod quisque jur. ibi: Nam si Assessoris imprudentia jus aliter dictum sit, quam oportuit, non debet hoc Magistratui officere, sed ipsi Assessori. Denique ex consilio tenetur, qui rem illicitam consultis v. g. furtum vel homicidium, quia cum censeatur causa moralis talis injuriæ, ad illius reparationem tenetur.

Cap. 63.

Exceptionem obiciens non videtur de intentione adversarii confiteri. Sic generaliter respondit Innoc. III. in c. 6. de Exception. Idemque dicit J. C. in L. 9. ff. de Except. Nam cum exceptio opponatur ad actoris intentionem excludendam, non potest contrarium operari effectum, scilicet, firmare ejus intentionem: quod certè faceret, si eam obiciens videretur de intentione adversarii con-

confiteri. Si verò exceptionem opponens non sisteret præcisè in ipsa exceptione, sed aliquid adderet, jam illud posset pro confessione haberi, si v. g. dicat: Ego feci homicidium, sed illud ad meam defensionem feci: non esset pura exceptio, sed pro confessione haberetur, dum exceptionem non probaret: nam in se confessionem includit.

Cap. 64.

Quæ contra jus sunt debent utique pro infectis haberi. L. 5. C. de Legib. Dupliciter aliquid potest contra Legem fieri: vel contra Legem irritantem, vel contra Legem prohibentem. Et quidem, quod fit contra Legem irritantem certè nullum, & invalidum est. Lex irritans est, quando nullitatem actus contra ipsam facti inducit, vel quando pro forma, vel quasi forma, vel conditione, vel pro requisito, seu solemnitate essentiali actus aliquid exigitur in Lege. Si enim illud omittatur, actus nullus erit. Sic matrimonium clandestinum est nullum, quippe caret debita solemnitate. Trid. sess. 24. de Rej. matrim. cap. 1. Si alienatio facta de rebus Ecclesiæ vacantis non præcedente tractatu, & justa causa est utique nulla, quia forma præscripta deficit. C. 1. de Reb. Eccles. non alien. in 6. Et alia exempla passim inveniuntur in jure. Quando verò Lex solum prohibet, sed non irritat actum, si hic contra Legem fiat, illicitus erit, validus tamen: sic professio non debet fieri ante annum probationis, si tamen fiat, utroque renuntiante, valet. L. 16. de Regul. Et ibi generaliter dicitur, quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Et patet clarè in matrimonio cum aliquo impedimento purè impediendo contracto; v. g. cum voto simplici castitatis: nam validum est, quamvis illicitum sit.

Cap. 65.

In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis. L. 116. §. fin. L. 128. L. 154. ff. b. t. ibi: Cum par delictum est duorum, semper oneratur potior, & melior habetur possessoris causa, sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori: aut si rei quoque in ea re dolo actum sit. Ubi notat Gothofr. non audiri, replicationem actoris dolosi

adversus reum dolosum excipientem. Et L. 33. ff. b. t. dicitur: In eo quod, vel is: qui petit, vel bis, à quo petetur luctu facturus est, durior causa est petitoris. Hos est, quod quando duo de lucto certant, conditio actoris est deterior, & à contra melior est conditio possessoris. Et hinc est regula generalis, quod in quacumque causa dubia debet præferri jus possidentis. Quæ non solum habet locum in materia justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum, quia quando dubium est, invenitur quædam æqualitas inter obligationes restituendi rem, & potestatem retinendi eam, vel inter obligationem faciendi, vel dandi rem voto promissam, & potestatem non solvendi, & sic de aliis: & aliunde possessio rei confert aliquod jus possidenti: hac ergo ratione prævalere debet jus possidentis. Suar. de Relig. tom. 2. lib. 4. de Voto, cap. 5. ex n. 8. Sanchez. in Decal. lib. 1. c. 10. ex n. 10. Lacr. lib. 1. ex n. 495. Ac proinde in materia juslibet virtutis, quando neutra pars sufficienter probatur, possessoris causa debet sustineri. Et ideo in materia obedientiæ, cum Superior sit in possessione potestatis præcipiendi, subditus in dubio, an sit peccatum, tenetur obedire. Sic in materia Religionis dubius de voto, non tenetur, quia libertas est in possessione. Sic in materia fidelitatis dubius de valore matrimonii tenetur debitum reddere, quia alius conjux in possessione est juris petendi. Et sic de aliis. Nec tenetur dubitans in omnibus, & per omnia tutiorem partem sequi, ut assert. Lacr. lib. 1. ex n. 470. ubi hoc axioma explicat.

Cap. 66.

Cum non stat per eum ad quem pertinet, quominus conditio implatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset. L. 161. ff. b. t. Ideo, quia per Abraham non stetit suum filium non immolare, ad meritum reputatum fuit, tamquam si illum immolasset. C. 20. in fin. 22. q. 2. ibi: Quandoque aliquid jubendo significamus, velle fieri, quod tamen fieri nolimus, sed experimentum obedientiæ quarimus, sicut Abraham à Deo tentatus legitur, cum jussum immolare filium, quem Dominus volebat ab eo occidi. Undè Ambrosius: non enim volebat Deus immolari à Patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit: sed tentabat affectum

tum Patris, si Dei praecepta praeferret filio. Et hac voluntas dicitur signi prout distinguitur à voluntate beneplaciti, quia Deus proprie, & formaliter aliquid vult. Et è contra reus per citato habetur, quia impeditur à Iudice citari. C. 5. §. *Porro.* *Ut lite non contest.* Quia quoties per eum cuius interest conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde habetur, ac si impleta conditio fuisset. L. 161. ff. b. t.

Cap. 67.

Quod alieni non licet suo nomine, nec alieno licebit. Et ideo, quia in poenam de albo corrupto incidit, qui Prætoris album proprio nomine corrumpit, etiam incidit si alieno nomine hoc faciat. L. 7. §. *fin. ff. de Jurisd.* Sic etiam, quia non licet falsare R. Pontificis litteras nomine proprio, nec licet alieno. C. 7. de *Crim. fals.* Similiter, quia non potest quis in utilitatem propriam usuras exercere, nec alieno nomine, sive in alterius utilitatem exercere valet. C. 10. D. 46. ibi: *Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere sanus attentet. Indecens est enim, crimen suum commodis alienis impendere.* Sic quia Proregibus, Gubernatoribus, Prætoribus, aliisque Magistratibus prohibetur in Provincia, quam gubernant contractus facere, negotiari, & mercimonia exercere. L. 33. ff. de *Rebus credit.* L. 5. tit. 5. p. 5. L. 2. tit. 6. lib. 3. R. C. Nec per alios hæc facere possunt. L. 74. tit. 3. lib. 3. R. Ind. ibi: *Expresamente prohibimos à los Vireyes de nuestras Indias todo genero de trato, contrato, ó grangeria, por sí, ó sus criados, familiares, ó allegados, ó otras qualesquier personas.* Ne quod una via prohibetur, alia concedatur: nam quid interest, quod quis manum dexteram habeat ligatam, ne alienum surripiat, si idem manu sinistra sinistrè obstinet? Contra e. 84. infra b. t.

Cap. 68.

Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. L. 1. §. *Dejecisse, ff. de Vi, & vi armat.* Nam qui per alium aliquid facit, per se ipsum facere videtur. Hinc potest quis per Procuratorem matrimonium contrahere, cap. *fin. de Procur. in 6.* Etiam juramentum potest quis præstare per alium, cap. 33. D. 63. Quando

hæc per se ipsum facere potest: Et hæc ratione, qui mandat Clericum percutere; excommunicatus est, sicut ipse percutiens, cum is committat verè, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur, cap. 6. §. *un. de Sent. excom.* Si verò alicujus industria requiratur ad aliquod factum, illud non potest per alium fieri. Ne quando factum personale est. Sic Episcopus per alium chrisma, vel Ecclesias consecrare, nec ordinare Clericos valet. Nec Sacerdos potest per alium poenitentes absolvere. Nec potest Parochus, nec Episcopus per alios in Parochia, vel Diocesi residere, quia ipso- rum industria est electa. C. 4. cap. 6. de *Cleric. non resident.* *Trid. sess. 6. de Ref. cap. 1.*

Cap. 69.

In malis promissis fidem non expediit observari, cap. 5. 22. q. 4. ibi: *In malis promissis rescindit fidem: in turpi voto mutata Decretum: quod incautè voti, ne facias. Inopia enim est promissio, qua scelerè adimpletur.* Aliquando promissum est malum, quia, id, quod promittitur est turpe, & contrarium virtuti; v. g. Adulterium, homicidium, furtum, & alia hujusmodi. Aliquando verò, id, quod promittitur est male promissum, quia per injuriam promittitur; v. g. dolo, vel metu, licet id, quod promittitur, sit bonum. Quando promissum est malum, nulla nascitur obligatio, etiamsi juramento sit firmata talis turpis promissio. C. 8. cap. 18. de *Jure jur. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2. Suar. de Relig. tom. 2. L. 2. de Juram. cap. 14.* Si tamen promissio non sit de re turpi, licet male, & per injuriam, vel dolum extorta, si sit jurata debet adimpleri, quia sine dispendio salutis æternæ adimpleri potest. C. 6. de *Usur. e. 28. de Jur. jur.* Potest tamen rescindi ob injuriam illatam promissori. C. 8. de *Jur. jur.*

Cap. 70.

In alternatis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri. L. 10. §. *fin. ff. de Jur. dotium.* L. 11. tit. 1. p. 4. De debitore enim præsumitur, quod quantum minus potuit se obligavit, cum semper in dubio contra eum fiat interpretatio. L. 19. ff. de *Pact.* Et ideo creditor, sibi electionem reservasse in solvendo, quando alternativa est obligatio, ac propterea,

rea, si creditor unam rem determinatè petat, plus petere causa dicitur. e. *un. de Plus petition.* Ideò si pater promissit alicui unam ex suis filiabus uxorem dare, Pater potest eligere, quam maluerit, quod si alter illam ducere nolit, liber est à promissione. L. 11. tit. 1. p. 4. Eadem ratione si debitor alternativè utrumque solvit per errorem, ejus est eligere, quodnam repetere velit. L. 10. C. de *Condit. in debiti.* Qui potest postquam semel elegerit variare quoties voluerit. L. 138. §. 1. ff. de *V. O.* Et una re perempta est in ejus arbitrio, vel præteritum ejus, vel rem permanentem præstare. L. 47. §. 2. ff. de *Legib. 1.* Imò etiam ad hæredem ipsius debitoris transit jus eligendi. L. 76. ff. de *V. O. & ibid. Gothofr.* Quando verò Princeps alternativè aliquas gratias concedit, non concedentis, sed recipientis est eligere, quam malit. In legatis alternativis quando verba testatoris ad legatarium diriguntur, vel quando dubium est, ad quem pertineat electio, legatarius eligit. L. 23. ff. de *Legat. 2.* Si verò ad hæredem diriguntur, ipse eligit. L. 19. ff. de *Legat. 2.* Sic Accursius in L. 23. de *Legat.* Si creditori plures actiones, vel remedia competant, ad ipsum pertinet eligere, qua actione agere velit. L. 108. §. *Cum homo, ff. de Legat. 1.* Similiter ad creditorem pertinet eligere locum ubi petat, quando promissor promissit dare; v. g. Manilæ, vel Acapulci. L. 2. §. *Scævola, ff. de Vo, quod cert. loco.* Deinde in alternativis sufficit alterum adimpleri. Sic quando Pontifex mandat, inquiri de duobus alternativè, sufficit, si alterum probetur. e. 4. de *Rescript.* Etiam si alternativa negativè concipiatur, sufficit alterum non fieri. L. 129. ff. de *V. O.* Aliquando autem ordo scripturæ servandum est: nam si Episcopo mandat Papa, quod det Cajo beneficium, quod prius vacabit, sive ad ipsius Episcopi, sive ad alterius collationem pertineat, non est Episcopi electio, sed debet beneficium, ad ejus collationem spectans conferre. e. 10. de *Præb. in 6.* Similiter, si testator substituat Titium, aut Sejum, Titius prius vocatus censetur. Idem dicitur si in majoratu dicatur: succedat Filius, aut Filia: Nam filius etiam junior præferitur Filia, etiam majori. L. 77. §. 32. ff. de *Legat. 2. e. 10. de Præb. in 6.* Denique aliquando alternativa, seu disjunctiva in copulativam resolvitur, & tunc utrumque adimpleri necesse est. L. 53. ff. de *V. S. L. 4. C. eod. latè Barb. hic, & alii com.*

Cap. 71.

Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus. L. 156. §. 1. ff. b. t. Et ratio est: quia aliquibus exceptio conceditur, quibus actio non datur, ut sunt excommunicati. e. 5. de *Except.* Et exceptio perpetuo durat, licet actio tempore tollatur, ac proinde, qui admittitur ad agendum, ad excipiendum admitti debet. Quod fillit, quando exceptio aliqua ratione excluditur ut in e. 6. de *Jur. jur.* Ubi qui juravit solvere usuras, non potest uti exceptione ratione juramenti, sed post ipsarum solutionem eas repetere potest. Nec locum habet hæc regula, quando actio, & exceptio ad diversa diriguntur. C. 11. de *Excesib. Prælator.*

Cap. 72.

Qui facit per alium, est per indè, ac si faciat per se ipsum. L. 141. ff. b. t. ibi: *Quod jussu alterius solvitur pro eo est, ac si ipsi solutum esset. Vid. e. 68. supr.* Sic qui per Procuratorem aliquid facit, licet verè per se non faciat, idem est, ac si per se faceret.

Cap. 73.

Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. L. 85. §. 1. ff. b. t. Si enim illud vitium solum resistat primæ rei positioni, re legitime facta, non retractatur, etiam si vitium superveniat actu jam perfecto, & legitime constituto. Sic licet furiosus non possit contrahere matrimonium, si tamen sanæ mentis contraxit, etiam si furor superveniat non irritatur matrimonium. L. *Patre furioso, ff. de Hæc, qui sunt sui. e. 26. 32. q. 7.* Idem de aliis impedimentis matrimonii dirimentibus dicendum est, siquidem nullum impedimentum superveniens irritat matrimonium. e. 10. de *eo, qui cognov.* Siquidem solum opponuntur primæ positioni matrimonii, quò semel legitime posito, non potest dissolvi, etiam si aliquid impedimentum dirimens superveniat, facilius nãmque jura conservantur, quam adquiruntur, & turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. e. 25. de

de Jur. jur. Si verò illud vitium supervenies non solum opponatur rei primæ positioni, sed etiam conservationi, illo superveniente res vitatur, vel ipso jure vel autoritate Judicis. *L. 7. tit. 6. p. 7.* Ubi infamias non solum excluditur ab obtinendis Dignitatibus: sed, & ab obtentis etiam repellitur ille, qui infamiam incurrit. *Et c. 3. D. 33.* Ubi arreptitii postquam sunt legitime ordinati ab ordine suspenduntur, quia illud vitium ordinum exercitio opponitur. Quare verò aliquis actus adhuc non est perfectus vitatur, si perveniat ad casum, à quo incipere non potest. *L. 15. L. 16. ff. ad Leg. Aquil. & ibid. Gotbofr.*

Cap. 74.

Quod alicui gratose conceditur trahi non debet in exemplum. *L. 141. ff. b. t.* Et quia privilegium, vel dispensatio, quæ alicui conceditur constituit jus singulare respectu illius personæ, vel casus, ideò non debet extendi ad personam, vel casum, non solum similem, sed nec ad majorem. *L. 14. cum seqq. ff. de Legib. c. 9. de Privileg. ibi: Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua autoritate præsumere, quod Romana Ecclesia certa ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere.* Siquidem respectu illius deficit voluntas concedentis, qui solum de tali persona, vel casu, de quo fuit rogatus, vel de quo præcessit cognitio, disposuit. *c. 7. c. 28. supr. b. t.* Ac proinde deficit privilegium, dispensatio, vel gratia, quæ unice à concedentis voluntate pendet. Sic Paterfamilias exprobat operariis vineæ qui adversus eum murmurabant. *Matth. 20. v. 13.* ibi: *At ille respondens uni eorum dixit: Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario conventi mecum? Tolle quod tuum est, & vade, volo autem, & huic novissimo dare sicut, & tibi, aut non licet mihi, quod volo facere? Quod à fortiori ratione intelligitur de gratia supernaturali, siquidem non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Cap. 75.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. c. 3. de Jure jur. ibi: Nec tu etiam si promissum tuum juramento, vel

fidei obligatione interposita, conditione firmasset aliquatenus teneris, si constat, cum conditioni minime paruisse. Ideò in mutuis promissionibus frangenti fidem fides frangitur. *L. 16. ff. de Transaction. L. 21. C. de Pact. & ibid. Gotbofr.* Siquidem sub hac conditione tacita fiunt: ex parte mea promissionem implebo, si ex parte alterius contrahentis etiam servetur pactum.

Cap. 76.

Delictum persone non debet in detrimentum Ecclesie redundare. *c. 6. de Exception. L. 17. tit. 10. p. 7.* Si enim Episcopus delictum commisit, ipse debet puniri: imò, & aliquando deponi, sed bona Ecclesie non debent fisco addici. *L. 3. 16. q. 6.* Nec Ecclesia perdit causam, si Procurator instrumentum falset. *c. 6. de Exception. Nec debet Monasterium solvere pecuniam depositam apud Religiosum, etiam de licentia Superioris: imò etiam si apud Superiorem deposita sit, si ejus culpa perit, quin in Ecclesie commodum fuisset conversa: teneretur tamen, quatenus commodum percepit. Sanch. in Dec. lib. 6. cap. 14. n. 29. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 27. n. 12.* Idem est dicendum de Superiore cujuscumque Communitatis, Collegii, Capituli, vel Universitatis. *L. 17. tit. 10. p. 7.* Et quidem licet delictum personæ, quod in faciendo consistit, non præjudicat Ecclesie, delictum tamen quod in omitendo, vel negligentia consistit, Ecclesie, vel Communitati utique præjudicare valet. *C. 15. 16. q. 4.*

Cap. 77.

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. *L. 143. ff. b. t.* Ideò Prælati succedunt in onere solvendi debita contracta pro Ecclesie utilitate, quia in honorem Prælati succedunt. *c. 1. de Solution. & filius patroni, qui in patronatus honorem succedit, similiter succedit in onus defendendi Ecclesiam. c. 31. 16. q. 7.* Et è contrario non debet quis onerare, quem non honorat. *L. 9. C. de Fideicom. cum commodum, & incommodum; honor, & onus pari passu ambulare debeant, ut sic æqualitas servetur. L. 10. ff. b. t. c. 55. supr. b. t.*

Cap.

Cap. 78.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. L. 162. ff. b. t. Nam causa necessitatis cessante, cessat, quod ob necessitatem statutum est. Sic alienatio sacrorum vasorum, quæ propter necessitatem permittitur, ut Captivi redimantur, non conceditur, si nulla adsit necessitas. *L. 22. C. de Sacros. Eccles. Et beneficia, quæ ob defectum Sacerdotum Sæcularium Religiosis collata fuerunt, debent Sæcularibus, data eorum copia restitui; arg. c. 1. D. 55.*

Cap. 79.

Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. L. 54. L. 120. ff. b. t. L. 12. tit. 34. part. 7. Nemo enim dat, quod non habet: hinc, qui rem alienam vendit etiam bona fide, non transfert in emptorem dominium, cum ipso careat venditor: transfert tamen jus usucipiendi ex dispositione Legis, & ob publicam utilitatem. *L. 1. ff. de Usucipiend.*

Cap. 80.

In toto parte dubium non est contineri. L. 110. L. 113. ff. b. t. cap. 1. de Arbitr. in 6. Ideò si pro aliquo feratur sententia circa totum, si postea ab eo pars ejus petatur, exceptionem rei judicatæ opponet. *Vid. cap. 35. supr. b. t.*

Cap. 81.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Hinc dicitur in cap. 2. de Penit. in 6. Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus potestatem, cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset, quis verisimiliter in specie concessurus: quia in obscuris id, quod verosimilius est, præsumitur, *cap. 45. supr. b. t.* & non est verisimile, quod sub tali generalitate concedatur, quod in specie difficilè conce-

Tom. II.

deretur, ideò si non exprimat non intelligitur concessum. Sic commissio generalis, quam Legato facit Pontifex non extenditur ad causas fidei, *cap. 52. 16. q. 1.*

Cap. 82.

Qui contra jura mercatur bonam fidem præsumitur non habere. L. 7. C. de Agricol. L. 11. Nec enim potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit. *L. 197. ff. b. t.* Hinc qui sine solemnitatibus à jure requisitis contrahit est in dolo præsumptus, & mala fide. *Mensob. de Præs. L. 3. præsumpt. 130. n. 33. & lib. 5. præf. 3. n. 76.* Nam si scit, illud prohiberi, mala fide agit: si ignorat, habet malam fidem juridicam, quam error juris constituit. Sic mala fide agere creditur, qui recipit Ecclesiam de manu Laici, *cap. 12. 16. q. 7.* & qui in aliena Parochia decimas recipit, cum nec Laicus Ecclesiam concedere possit, nec regulariter, qui in aliena Parochia decimas obtineat.

Cap. 83.

Bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur. L. 57. ff. b. t. L. 6. tit. 3. p. 5. Si enim una exactione tota finitur obligatio, nec Ecclesie licet iterum illud petere, *cap. 11. 12. q. 2.* Nam tunc sic repetens cum alterius jactura loqupleretur, contra *L. 14. ff. de Condit. indebit.* Aliud ob contrariam rationem est dicendum, si tota obligatio non est finita per unicam solutionem. Similiter non debet iterum puniri, qui semel ad æqualitatem est punitus; secus si ad inæqualitatem tantum punitus fuit.

Cap. 84.

Cum quid una via prohibetur alicui, ab id alia non debere admitti; arg. L. 32. ff. de Pactis, cap. un. de Cleric. conjugat. in 6. Sic pater, qui est prohibitus administrare, non potest administrare ut Curator. *L. 21. §. 1. ff. de Tutor. & Curat.* Similiter qui res Ecclesie non potest alienare, nec in pignus potest obligare, *c. 5. de Rebus Eccles.*

Iii 2

Cap.

Cap. 85.

Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur. L. 23. ff. b. t. l. i. §. Si conuenit, 6. ff. Deposit. cap. 1. de Pact. Pacta enim, etiam ultra; imò & contra naturam contractus debent seruari. Sic licet depositarius tantum de dolo, & culpa lata teneatur, potest ex pacto adjecto, etiam ad leuem, & leuissimam; imò ad casum fortuitum obligari, cap. fin. de Deposito, dum tamen pacta non sint contra bonos mores.

Cap. 86.

Damnum quod quis sua culpa sentit sibi debet, non aliis imputare, cap. 38. 23. q. 4. L. 22. tit. 34. p. 7. Cum enim damnum sit effectus culpæ, ille, qui culpam commisit, iustum est, quod patiat, & damnum. Sic Clericus sibi debet imputare, si cum prabenda vacat, ob negligentiam eam non petit, cap. 11. de Præb. in 6. Sic si Procurator ex delicto suo aliquam pecuniam pecuniariam soluat, non repetit illam à Domino. L. 46. §. 5. ff. de Procurat. Similiter socius omnium bonorum, si ob suum delictum damnatus sit, non potest solvere pecuniam ex communi, sed ipse tantum damnum sentire debet. L. 52. §. fin. ff. Pro socio.

Cap. 87.

Infamibus porta non pateat dignitatum. L. 2. C. de Dignit. L. 12. L. 22. tit. 5. p. 1. L. 7. tit. 6. p. 7. In persona enim infami indignè collocatur dignitas, cap. 3. D. 81. cap. 11. de Exces. Prælator. Sic enim Chrysost. qui bene sederit super Cathedram, honorem accipit ab illa, qui malè sederit injuriam facit Cathedre. Consonat Ouid. ad Pison. Nam quid imaginibus, quid à vita sulca triumphis atria, quid pleni numero consule facti profuerint, si vita labat? perit omnis in illo gentis bonos, cuius laus est in origine sola. Ideo infames, siuè infamia juris, siuè facti, non debent ad dignitates, non solum Ecclesiasticas, sed etiam nec ad Sæculares admitti: imò debent deponi ab obtentis. L. 6. tit. 6. p. 7. ibi: E tan gran fuerza ha el enfamamiento, que estos atales non pueden ganar de nuevo ninguna dignidad,

nin honra de aquellas, para que deben ser escogidos homes de buena fama; è am las que habian ganado, debennas perder luego que fueren probados por tales. Infamia siquidem est lasio status, dignitatis, seu conditionis alicujus: vel mala existimatio de aliquo quoad aliquod ejus malum. Et est duplex: alia juris, quæ scilicet à jure inducitur, sic Sodomitæ infames sunt per ipsam Legem, quamvis crimen occultum sit: alia est facti, quæ scilicet, ex facto ipso independentè ab omni Lege procedit, & exurgit apud viros bonos, & graves: nec enim infames censetur ille, cujus fama, tantum apud personas leues, pueros, mulieres, & maledicos est læsa: quod clarius ex famæ cognitione percipitur. Fama enim, quæ sic à fando dicitur, est duplex: alia de homine, alia inter homines. Fama de homine, quæ etiam dicitur existimatio, sic describitur à J. C. in L. 5. §. 1. ff. de Extraord. cognition. Est dignitatis illesæ status Legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro autoritate Legum, aut minuitur, aut conuenitur. Vel aliter potest definiti. Est existimatio bona de aliquo, quod aliquod ejus bonum, ut sunt virtutes, scientia, nobilitas, opes, pulchritudo, vires, valetudo, & alia hujusmodi, qua bonam de homine existimationem generant; ipsamque apud viros probos commendat. Etenim hic loquimur tantum de bona fama: & quidem illa bona existimatio, quam homines de aliquo concipiunt, facit ut de eo loquantur, & tunc est propriè fama, quia fatur. Honor. juxta Div. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. in corp. testificationem quandam importat de excellentia alicujus. Undè homines, qui volunt honorari testimonium suæ excellentiæ querunt. Hoc testimonium, si inspicatur coram Deo, qui inspector est cordium consistit in solo interiori motu cordis: quoad homines tamen præstat per aliqua signa exteriora, vel verborum, puta, cum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicujus, & tunc dicitur laus. Etiam hoc testimonium præstat factis, ut inclinationibus, oblationibus, & aliis hujusmodi: vel etiam exterioribus rebus puta in enceniorum, vel munerum oblatione, aut imaginum institutione, vel aliis hujusmodi: ac proinde honor in signis exterioribus, & corporalibus consistit. Reverentia verò non est honor, sed ex una parte est principium motuum ad honorandum, in quantum aliquis ex reverentia, quam habet ad

Cap. 88.

aliquem, eum honorat: ex alia parte est honoris finis, in quantum aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentia habeatur ab aliis. Denique honor, est optimorum, quæ non ordinantur ad finem, sed jam sunt in fine: gloria autem est effectus honoris, & laudis, quia ex hoc, quod testificatur de bonitate alicujus clarescit bonitas ejus in notitia plurimorum: & hoc importat nomen gloriæ: nam gloria dicitur quasi clarior. Undè Ambros. dicit. Quod Gloria est clara cum laude notitia. Sic D. Thom. Honor ergo est quid excellentius, quam fama: Nam includit famam, quæ consistit in bona opinione & existimatione excellentiæ, & insuper addit manifestationem, & testificationem talis opinionis per aliquod signum externum in quo propriè honor consistit. Sic Less. lib. 2. de Just. cap. 11. n. 5. Fama injustè violator, & denigratur per detractionem. Honor injustè minuitur per contumeliam. Detractio fit instar furti, ut plurimum occultè, & contra absentem. Contumelia fit instar rapinæ, apertè, & contra præsentem. Ex quibus facile colliges, quando quis censeatur, vel non infamis, & consequenter, quando debet, vel non à dignitatibus excludi.

444 Denique diversorum axiomatum usufrequentiorum quandam collectionem atterere libuit, tamquam quoddam juris Armamentarium, in quo telis, & clypeo facile instrui queant novi milites, qui huic facultati operam dant, ut in quantumque materia, quam frequentes occasiones offerent, aliqualem discursum ex his principis debita proportione applicatis, formare valeant. Sanè aliquando eadem sententia sub diversa vocum apparentia repeti solet: nec frustra, cum sæpè sub diversa forma eadem sententia, diversa, & aliquando aptiori, & opportuniori gaudeat energia. Nec vobis errorem incurtiat, quod aliqua axiomata aliis pugnare videantur: quia si omnia in proprio accipiantur sensu, omnia profecto in suo sensu vera apparebunt. Quod si adhuc vos aliquis angat scrupulus, Authores consulite, qui lateri calamo de his scribunt: quippe ut Poeta testatur: Non omnis fert omnia tellus. Et temporis angustia (quod ab aliis occupantibus clam arripimus) à tabula jam manum removere, compellit, & urget.

ARMAMENTARIUM JURIS.

A

445 **A**ctus debet interpretari, ut potius valeat, quam pereat. L. 80. ff. de Verbor. oblig. L. 12. ff. de Rebus duab. Actus legitimi, qui diem, aut conditionem non admittunt, per conditionis, vel diei adjectionem vitantur. L. 77. ff. de Reg. jur. Aliud pro alio invito creditore non rectè

solvitur. L. 2. §. 1. ff. de Rebus credit. nec alio loco, quam quo conventum est. L. 9. ff. de Eo, quod cert. loc. neque alio tempore. L. 122. ff. de Verb. oblig. Ars artium est regimen sanarum, cap. 14. ac. Atas. & qualis. Aliquando quod est nullum, & inefficax, dicitur rescindi. L. 5. C. de Rescind. vendit. Actor debet sequi rei forum, cap. 8. di. Foro compet.